

perceptionis sensitivae essent affectiones subiectivae seu impressio materialis facta in organis nostris; id vero quod teste conscientia re vera percipimus: colores, soni, durities etc. non esset in rebus, sed productum a principio percipiente. *Atqui* testimonio conscientiae constat, nos non percipere illam impressionem sc. motus nervorum etc.; deinde ex sententia adversariorum id quod re vera percipimus, non existit obiective. *Ergo* sensatio non haberet obiectum formale verum, i. e. conforme obiecto materiali ac proinde semper falleret.

b) Idealismus et scepticismus induceretur; nam „Idealismus in eo est, ut dicat sensations esse modificationes mere subiectivas, quibus nullum obiectum correspondeat, cui sint conformes.“¹⁾ *Atqui* si sensibile proprium non existit a parte rei, sensus non apprehenderent immediate nisi affectiones mere subiectivas sc. motus organicos; deinde eis nullum obiectum correspondet, quibus conformes essent; nam quod percipimus, e. g. color, sonus etc. teste conscientia non est conforme motibus organicis, neque esset ex sententia adversariorum conforme ulli qualitati a parte rei. *Ergo* sententia adversaria inducit idealismum. — Immo et scepticismum; nam si sensus, allud referentes quam quod re vera percipiunt, nos decipiunt circa sensibile proprium, nulla erit certitudo de sensibili communi et de ipsa corporum existentia²⁾, neque tunc intellectui esset fides praestanda, quia cognitio intellectualis supponit sensitivam³⁾, et si natura in sensibus nos decipit, nulla est certitudo eam intellectu nos verum docere.

c) Tunc eodem iure etiam sensibile commune a parte rei negandum et subiecto percipienti soli tribuendum esset; nam conscientia aequo modo testatur, utrumque sensibile esse obiectivum; deinde nulla perceptio sensibilis proprii sine quantitate fieri potest et eadem facilitate extensionem et colorem mere subiective mihi repraesentare possum, neutram tamen qualitatem sine altera. Denique errores circa sensibile commune non pauciores, immo multo frequentiores sunt, quam circa sensibile proprium (e. g. baculus in aqua fractus apparet; sol terram circumvolans; rota velocissime mota ut planum, corpus poris affectum ut continuum apparet, errores in distantia aestimanda). Unde iure Berkeley et Kant ex eo, quod Cartesius et Locke sensibile proprium soli subiecto percipienti tribuebant, deducunt, neque sensibile commune ac proinde nullum corpus existere.⁴⁾

¹⁾ Haan, Philos. natur. p. 50. ²⁾ Cfr. Lange, Gesch. d. Materialismus⁵ II, 421; Eucken, Die Grundbegriffe der Gegenwart² p. 32 consentientes in hoc.

³⁾ Willmann, l. c. p. 58. ⁴⁾ Vide Fischer, Grundfragen der Erkenntnisstheorie, p. 68. Kant, Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik, 1794, p. 63. Neque alio modo Wundt iudicat: „Es ist nicht abzusehen, warum die so genannten primären Qualitäten . . . in höherm Grade die Bürgschaft objektiver Realität in sich tragen sollen. Der Umstand, dass mehrere Sinne gleichzeitig jene Anschauungen vermitteln, den Locke in den Vordergrund stellt, könnte doch selbst vom Standpunkt der Erfahrung aus kaum ein zreichendes Motiv abgeben, wenn nicht apriorische Gründe hinzukommen.“ Vide Pesch, Inst. log. II, 1, 139. Wundt, Logik I, 403. Similiter Lange et Eucken (cfr. Zeitschr. für kath. Theol. 1901, p. 490). Helmholtz, licet adversarius, fatetur: „Die mit dem Charakter der Wahrnehmung auftretenden

d) Si sensibile proprium non esset in rebus, sed solum in nobis, potius dicendum esset, perceptionem meam viridem, sonoram, odoriferam etc. esse. *Atqui* hoc repugnat conscientiae et persuasiōni hominum. Omnes enim affirmant, arborem esse viridem, rosam odoriferam, campanam sonare. — Neve obicias, esse locutionem metaphoricam (metonymiam), ita ut effectus loco causae ponatur, quemadmodum dicitur: „laetus nuntius“, „gladius crudelis“; nam termini metaphorici supponunt proprios, unde si res ipsae non essent affectae qualitatibus illis sensibilibus, re vera nostrae sensationes proprie deberent esse virides etc. Deinde omnes facile distinguunt inter locutionem illam metaphoricam et propriam, neque unquam nuntium sensu proprio laetum quisquam vocavit, omnes vero arbores sensu proprio virides esse arbitrantur. Unde sensibile proprium formaliter vel est in rebus vel in solo sensu. Si est formaliter in rebus, existit a parte rei; si non est formaliter in rebus, totus mundus adspectabilis, omnis eius pulchritudo et ordo sensibilis non existit nisi in percipiente. Quod si admittitur, non video, quomodo periculum idealismi et scepticismi, immo acosmismi possit evitari.¹⁾ *Ergo* sensibile proprium debet existere a parte rei.

e) Non potest explicari, qua lege tandem anima proprium sensibile, si est ab ea productum, formaret? Aut sibi conscientia est huius productionis subiectivae, aut non. Si primum, nobis conscientia hoc innatesceret. *Atqui* conscientia potius refert, nos in obiecto ipso qualitates illas percipere. Sin alterum, unde tunc potes scire, animam ipsam sensibile proprium formaliter producere et quomodo possumus esse certi, hanc cognitionem veram esse?

Deinde, quomodo anima sensibile proprium cum corporibus extensis coniungeret? Dicunt, per „projectionem vel obiectivationem“ quandam. Sed quaeritur, cur huic corpori sonus, alii color, alii utrumque tribuatur, si illae qualitates in ipsis corporibus non insunt, neque in ipsis immediate attinguntur. Anima aut percipit qualitates projectas in obiectis ipsis aut non. Si primum, superflua est projectio; sin alterum, nulla videtur ratio, cur huic obiecto, hanc tribuat qualitatem. — At dicis, hoc scit ex impressione organica. Sed illa impressio teste conscientia non percipitur, neque, si perciperetur, ex ea posset inferri, ad quod obiectum in individuo sensibilia referenda essent.

Porro transitus ille fieret vel mere *psychologice* i. e. modo caeco et necessitate quadam subiectiva (associatione idearum, experientia continuata, ut Hume, St. Mill, Spencer etc.) vel *logice* i. e. per conclusionem sive conscientiam sive inconsciam (Helmholtz, Lotze, Wundt, E. v. Hartmann, multi recentiores). *Atqui* utraque sententia repugnat conscientiae, quae sensibiles qualitates in ipsis corporibus percipi testatur neque quidquam experitur necessitatis illius mere subiectivae sive conclusionis conscientiae vel inconsciae; porro utraque sententia destruit obiectivam certitudinem et ad scepticismum dicit.

Bewusstseinsakte verlaufen so, als ob die von der realistischen Hypothese angenommene Welt der stofflichen Dinge wirklich bestände. Die Tatsachen in der Wahrnehmung, p. 35. Vide Pesch, Weltphaenomen, p. 122.

¹⁾ Helmholtz hoc ipse fatetur: „Tatsachen in der Wahrnehmung“ p. 34; vide supra p. 106 et 169 notae; et historia philosophiae hoc confirmat: Sceptici fere omnes erant Idealistae negantes obiectivitatem sensationis.

f) Si anima efficeret sensibile proprium, quae tunc differentia esset inter sensationem externam et internam; cur anima non posset internam reddere externam; quae differentia inter hallucinationem et veram perceptionem, cum in utraque impressio organica adsit? Etiam caeci nati statim vident colores eosque tanquam obiectis externis inherentes, non quasi ab ipsis in oculo vel nervis vel cerebro effectis et ad extra projectis. Deinde omnes distinguunt inter colores mere subjective apparentes et obiectivos; etiam bruta vident colores in rebus; unde per proiectionem quandam animae ad extra colores nullo modo explicari possunt.)

II. Potest constare, conditiones ad rectum usum sensuum requiras adesse.

Nota, nos non negare, *nonnunquam* difficile esse probare, conditiones ex parte tum sentientis, tum obiecti, tum medii ad sentiendum requisitas adesse ac proinde errores difficile vitari, praesertim circa sensibile commune. Affirmamus tamen *in genere* constare, illas conditiones adesse, vel per accidens non adesse, quod sufficit ad testimonium sensuum confirmandum, et in hoc consistit *realismus moderatus sive criticus*, quem profitemur.

A. Ex parte facultatis:

1. *A priori* supponendum est, sensus nostros *per se* sanos esse ac bene dispositos ad sentiendum.

a) Nam natura in necessariis per se non deficit. *Atqui* sensus nobis necessarii sunt tum ad vitam vegetativam et sensitivam sustentandam, tum ad vitam intellectualem incipiendam et perficiendam. *Ergo* supponendum est, sensus per se, i. e. ex ordine et intentione naturae esse sanos et bene dispositos.

(b) Quod nisi esset, de nulla facultate cognoscendi possemus esse certi; quia natura, si in sensibus deficit, etiam quoad alias facultates potest nos fallere. *Atqui* natura sive auctor naturae non fallax est. *Ergo* sensus per se sanos ac bene dispositos esse iure supponitur.)

2. Constat etiam *a posteriori*; nam certum est homines quoad sensationes inter se consentire, immo in nulla re adeo consentire, quam in perceptione sensuum. *Atqui* si sensus per se non sani et bene dispositi essent, hic consensus impossibilis esset. *Ergo* sensus per se sanos ac rite dispositos esse omnino constat neque probatione indiget, nisi positiva adsit ratio dubitandi.

3. Potest etiam constare, quando *per accidens* sensus non sunt sani neque bene dispositi; nam natura ipsa hoc indicat dolore vel difficultate, quam sentiendo experimur. (Deinde alii sensus vel experientia nostra praecedens non concordant cum relatione sensus

detectu laborantis (e. g. oculi longius in lucem solis defixi). Denique propria experientia vel exemplo aliorum defectum in sensibus nostris adesse docemur. Quod si hoc modo defectus nullus deprehenditur, sensus nostros sanos ac bene dispositos esse supponendum est.

4. Potest etiam constare, nos sufficientem adhibuisse reflexionem vel attentionem; nam haec attentio et reflexio pendent a voluntate; unde nobis conscientia esse possumus, nos adhibuisse debitam attentionem, praesertim si obiectum erat rite propositum vel si plures sensus adhibiti sunt.)

B. Ex parte obiecti et medii.

1. Obiectum vel medium quoque ex ordine et intentione naturae modo ordinario et vero nobis proponi supponendum est; nam ex natura facultatis sensitivae apparet, eam esse per se destinatam ad obiecta sensibilia recte percipienda ac proinde etiam haec ab eadem natura, si rectus ordo servatur, ad rectam cognitionem ordinantur. Unde etiam obiecta et media, quibus manifestantur, per se modo debito sese habere supponendum est; quod ex hoc quoque apparet, quod homines in obiectis sensibiliibus percipiendis maxime consentiunt.

2. Si vero obiectum vel medium non se habent modo consueto, adhibita attentione et reflexione mentis, error vel statim vel saltem postea detegi potest: a) testimonio aliorum sensuum (e. g. in hallucinatione); b) propria experientia iam facta vel postea facienda (e. g. colores ex inflexione et interferentia radiorum lucis, in spectro); c) experientia et exemplo aliorum (scientia physica).

Neque in hoc est ullus circulus vitiosus, aliquem sensum per alios corrigi; tunc enim esset ille circulus, si veracitas unius sensus per se demonstrari deberet. Iam vero sensus *per se* veraces esse et conditiones requisitas *per se* adesse demonstravimus, neque error esse potest nisi *per accidens*. Unde in hoc non est circulus vitiosus, sensum aliquem *per accidens* deficientem corrigi ab aliis *per se* et *ex natura sua* fide dignis; alias enim et intellectus noster, qui etiam per accidens falli potest, nullum errorum corrigerem posset neque fidem mereretur; neque homo errans ab aliis posset edoceri, si quidem nullus homo *per se* i. e. ratione naturae humanae maiorem fidem meretur, quam alii homines.

Coroll.: Ex dictis patet, iudicia, quae formantur ex sensatione sub debitissimis conditionibus facta, vera esse atque certa. Iam vero iudicia de sensationibus possunt esse immediata et mediata. Immediata sunt illa, quae non exprimit nisi *actum* sensationis, in quantum hic et nunc potentiam sensitivam afficit et refertur per *conscientiam directam* sensitivam ac proinde sunt eadem, quae iudicia immediata conscientiae reflexae. Iudicia vero mediata sunt illa, quae *objecum* sensationis existere affirmant; unde sunt identica iudiciis mediatis conscientiae reflexae (cfr. supra p. 151 sq.). Itaque dicendum:

1. Iudicia immediata ex sensationibus, in quantum sunt actus nobis immanentes, semper sunt vera, neque per accidens possunt esse falsa; affir-

mant enim actum sentiendi adesse, qui si sentitur adesse, impossibile est eum simul non adesse; unde verum est iudicium: video baculum in aqua fractum; vel solem terram circuire.

2. Neque iudicia mediata *per se*, ex ordine naturae falsa esse possunt, si conditiones requisitae adsint; secus enim natura ipsa falleret media inepta cognitionis nobis tribuens. Vera igitur sunt iudicia: Corpora existunt, corpora sunt extensa, arbor viridis est, lapis durus, rosa odorifera est etc., quia in his iudiciis formandis omnibus facile constat, conditiones omnes requisitas adesse. Possunt autem illa iudicia mediata *per accidens* esse falsa, si per hominis defectum sc. attentionis et reflexionis debitae conditions requisitae ad rite sentiendum non adsunt: unde falsa sunt iudicia mediata: baculus in aqua immissus fractus est; sol terram circuit.

Scholion: Quid propria sensibilia in se sint, non est huius loci investigare. Sensus enim nil referunt nisi eorum existentiam, non naturam. Quomodo vero nobis appareant, est quaestio iam apud antiquos valde disputata. Pythagoraci putabant, ignem quandam ex oculis procedentem ad corpora per venire indeque repercutsum eorum imaginem referre oculis; Empedocles vero fieri sensationem existimabat ex concurso quarundam emanationum corporis percepti et ignis ex oculo progradientis; Plato cum Stoicis putabat ignem quandam „visualem“ ex corporibus et oculo simul progradientem mutuo concurso effigiem corporis efformare, quae illo lumine tum ad rem perceptam, tum ad oculum percipientem referretur; Democritus quasdam imagines corporum oculos ingredi arbitrabatur. Aristoteles autem reiciens tum simulacra ex corporibus progradientia, tum emissionem lucis ex oculis, qualitatibus corporeis impulsu externo e. g. solis luce actuatis medium aliquod pellucidum (aether modernorum) moveri, itaque oculum determinari ad videndum statuit.¹⁾ Quam sententiam scholastici secuti sunt. Controversia inter eos erat, utrum color formaliter rebus inhaereret, etiamsi nulla lux adesset, an efficetur in ipsis corporibus irradiatione quadam lucis; primam sententiam S. Thomas, alteram Albertus M. propugnavit. Moderni physici distinguentes tum colores corporibus proprios tum mere spectrales ex lucis dispersione et interferentia productos magis ad sententiam S. Thomae accedere videntur;²⁾ sententia vero Alberti melius explicat colores mere spectrales; quare ambae sententiae concordiae esse videntur, ut omnia phaenomena explicentur.

Obi.: 1. Physici docent, sensibilia propria non formaliter existere in rebus.

Resp. 1^o dist.: docent et probant — nego; docent vel Kantianis irretiti ideis vel phaenomena solummodo mechanice, non philosophice interpretantes — subd.: probant adesse et requiri in sensatione motus quosdam locales —

¹⁾ „Πάντα δὲ χρῶμα κινητικόν ἔστι τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς· καὶ τοῦτο ἔστι αὐτοῦ ἡ φύσις . . . Ἀλλὰ τὸ μὲν χρῶμα κινεῖ τὸ διαφανές, οἷον τὴν ἀέρα· δῆτού δὲ συνεχῆδες ὅντος κινεῖται τὸ αἰσθητήριον“ (Lib. II, de anima, cap. 7). „Τὸ χρῶμα τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὑπομένει πάροις“ (de sensu et sensibili c. 3).

²⁾ Cfr. Pesch, Inst. Log. I, 122, II (1) 146; II (2) p. 316 sq. Zeitschrift für kath. Theol. Innsbruck, 1901, IV, 693 sq.; Ostwald, Vorlesungen über Naturphilosophie, 1902², p. 241 sq.

conc.; probant obiectum formale sensuum consistere in illis motibus — nego.¹⁾

²⁾ Retorquo: Physici docent, sensibilia propria non esse in rebus. Atqui conscientia nostra et consensus hominum docet, ea existere in rebus. Ergo physici errant.

2. Atqui probant et quidem experimentis sensibilia propria formaliter in rebus non existere; constat certis motibus respondere certam perceptionem et mutatis motibus perceptionem quoque mutari²⁾; dist.: et hoc probat motus illos esse obiectum immediatum seu formale sensationis — nego; probat esse conditionem necessariam et causam *instrumentalem* sensationis (speciem impressam) — conc.

Atqui si obiectum formale sensuum esset in rebus, non mutaretur cum motibus illis; dist.: si motus illi non essent conditio necessaria et causa instrumentalis ex parte obiecti — conc.; cum sint conditio et causa instrumentalis — nego.

Ergo obiectum formale proprium sensuum non est in rebus — nego.

Retorquo: Ad imaginem pingendam requiruntur motus penicilli et mutatis motibus manus et penicilli imago mutatur. Ergo imago formaliter nil est nisi motus penicilli vel manus!? Confunditur causa instrumentalis cum formalis. Porro si quidam obiciunt: Sonus vel lux crescit vel decrescit prout corpus sonans vel lucens se appropinquant vel removent, idem locum habet pro quantitate eiusdem corporis, quae in eadem proportione maior vel minor appetit. Ergo etiam quantitas corporum subiectiva est?

3. Atqui illi motus soli sunt obiectum ex parte rei sensibus perceptum, non autem proprium sensibile; nam si colores, soni essent in rebus, non posset haberi ulla perceptio sensibilis proprii absentibus corporibus.

Atqui nonnunquam habetur perceptio sensibilis proprii mere subiectiva³⁾ e. g. fluido electrico *eodem* in oculis color (scintilla), in auribus sonus, in gustu sapor etc. excitatur.

Ergo proprium sensibile est affectio mere subiectiva.

Resp.: 1^o Transeat maior et minor et nego consequentiam; concludit enim syllogismus non recte: nonnunquam fit; ergo semper fit; vel sensatio nonnunquam est subiectiva; ergo semper est subiectiva.

2^o Retorquo: a) Tu distinguis inter perceptionem sensibilis proprii mere subiectivam, i. e. absente corpore, et obiectivam, i. e. praesente corpore. Atqui haec distinctio supponit proprium sensibile esse per se obiectivum, sicut falsa moneta supponit veram. Ergo . . .

¹⁾ Cfr. Willmann, Philos. Propädeutik, 1904, II, 57; E. Fischer, Grundfragen der Erkenntnistheorie, 1887, p. 240 sq.; Schwarz, Das Wahrnehmungsproblem, 1891; Die Umwälzung der Wahrnehmungshypothesen, 1895.

²⁾ Schwingungen der Luft von 16—33000 in der Sekunde werden als Ton gehört, Schwingungen des Äthers von 18 Millionen an in der Sekunde werden als Wärme, von 450—790 Billionen als Licht bezw. als Farbe vom Rot bis Violett empfunden. Cfr. Hagemann, Psychol. § 21, et Philos. Jahrb., 1894, p. 404 sq., et Haan, Philos. natur., p. 51. Pesch. Phil. naturalis, II, p. 55.

³⁾ Cfr. Haan, l. c.; porro Natur und Offenbarung, 1898, p. 526 „Farbiges Gehör“.

b) Concedis extensionem esse obiectivam; unde sic retorquo: Si extensionis esset in rebus, non posset percipi absente corpore. Atqui nonnunquam percipitur absente corpore (e. g. in omni sensibili proprio, in representatione phantastica). Ergo extensio non existit a parte rei?

c) Nonnunquam falsum sub specie veri nobis appareat, ergo nulla est obiectiva veritas?

3º Dist. maiorem: Non posset haberi perceptio corpore absente in statu normali — conc.; in statu anormali, subd.: ita tamen ut ille status anormalis primo intuita vel adhibita reflexione mentis facile cognosci et error vitari possit — conc.; alias — nego. Eodem modo distingue minorem.

4. Atqui non potest constare statum anormalem non adesse; nam phantasia potest tam clare sensibile proprium repraesentare, quam si sensibus externis perciperetur (e. g. hallucinantes, hypnotizati); dist.: semper, i. e. per se — nego; nam tunc natura ipsa fallax esset; per accidens, subd.: ita tamen ut iam perceptio aliqua sensibilis proprii obiectiva praecesserit — conc.; quin ulla perceptio obiectiva praecesserit — nego; nam phantasia non potest repraesentare, nisi quod saltem quoad elementa sensus prius perceperint, et constat, oculum qui colorem nunquam viderit (e. g. caeci), nulla nervorum irritatione ad colorem percipiendum determinari posse, et si nervus sensibilis cum aliis e. g. motus coniungitur, eadem fit perceptio, unde patet, non esse in singulis sensibus illam energiam specificam, quam Ioh. Müller, Helmholtz et alii supponunt.

Deinde retorquo argumentum, quia eadem ratione etiam extensionem mere subiectivam esse ostendi posset.

5. Atqui sensibus non est credendum, quia a) tot sunt errores circa sonos, colores (e. g. colores spectri, arcus in coelo, guttae roris, interferentiae, inflexionis, polarisationis etc.¹⁾); dist.: sensibus non rite dispositis et applicatis — conc.; sensibus rite dispositis et applicatis, subd.: per se — nego; sensus semper vere referunt, sicut determinantur; per accidens, i. e. ratione iudicii subsequentis — conc.; sed tunc nego suppositum. — Ad exempla addita: illi colores sunt mere subiectivi — nego; non sunt obiectivi, subd.: tanquam proprietates corporibus inhaerentes („Körperfarben“) — conc.; nullo modo obiectivi, neque in medio sive in aethere extra nos effecti („Spektralfarben“) vel corpusculis in aere (e. g. vapor aquae, pulvis cosmicus etc.) contentis — nego; nam sicut obiecta coloribus propriis induuntur, sic et lux ipsa colores omnes in se continet et in eos dissolvi potest (spectrum), per dispersionem, refractionem, interferentiam, polarisationem etc.

b) Quia homines adeo dissentunt de proprio sensibili, e. g. hic dulce vocat, quod ille amarum²⁾ etc.; dist.: et hoc probat sensus non semper et apud omnes eodem modo dispositos esse vel applicatos — conc.; probat sensibile proprium non existere — nego.

Retorquo: 1º Tot sunt errores et dissensiones circa sensibile commune, e. g. distantias, motus solis etc. Ergo sensibile commune non existit?
2º Errorres et dissensiones non essent vel explicari non possent, si sensibile

¹⁾ Pfeifer, Philos. Jahrb. 1897, p. 376 sq. Cfr. Drbal, I. c. p. 153 sq.; Natur u. Offenbarung, 1903, p. 15 sq. ²⁾ Cfr. Hagemann, Noetik⁴, p. 138.

proprium esset mere subiectivum. Atqui tu affirmas esse errores. Ergo sensibile proprium existit obiective.

6. Atqui error posset esse continuus, ita ut homines non adverterent neque suspicarentur, sicut perceptio solis terram circumeuntis vel corporis apparenter continui¹⁾; dist.: in hoc vel illo individuo (Daltonismus) — trans.; in omnibus vel plerisque hominibus — nego; esset enim tunc natura vel Deus fallax.

Ad exemplum resp. 1º retorquo: Hoc exemplo, si probaret, ostendetur etiam *commune* sensibile, ad quod pertinet motus, non esse obiectivum. 2º Deinde etiam paritas neganda est, quia ad sensibile *commune* rite percipiendum plures sensus requiruntur, non vero ad sensibile proprium. 3º Sensus errant in perceptione solis terram circumeuntis; dist.: si rite applicari possent ad motum illum percipiendum — nego; cum ex natura motus celestis non rite applicari possint; subd.: errant *per se*, i. e. aliud referunt, ac evident — nego; per accidens, i. e. per iudicium intellectus subsequens occasione illius perceptionis — conc.; non igitur sensus, sed intellectus praepostere iudicans errat.

7. Atqui possunt colores alio modo in rebus esse atque in sensu, sicut etiam obiectum intellectus iuxta doctrinam scholasticam alio modo est in re, alio modo in intellectu.²⁾ Respondeo: Concedo totum et retorquo argumentum: Iuxta doctrinam scholasticorum *id quod* conceptus exprimunt, est in rebus ipsis, *modus* universalis, abstractus, quo intellectus naturam conceptam exprimit, est in solo intellectu. Ergo a pari *id quod* sensatio exprimit, i. e. colores, soni etc. est in rebus ipsis, modus vero quo exprimit, i. e. est in solo sensu (*species expressa*: color sine odore in oculo etc.) Ergo propria sensibilia in rebus existunt.

8. Atqui nulla est certitudo sensuum, quum errores detegi non possint sine petitione principii; nam deberent iterum sensibus corrigi; dist.: ab eodem sensu et sub eodem respectu — nego; ab aliis sensibus vel ab eodem sensu, sed sub alio respectu, i. e. adhibita reflexione et experientia — conc.

Deinde nego suppositum antecedentis, veracitatem sensuum a priori esse probandam. Nam *per se* sensus supponendi sunt veraces, quia facultas naturalis ad cognoscendum destinata debet ex ordine naturae obiectum suum rite attingere; *per accidens* vero veracitas sensuum probanda est, si in hoc vel illo casu dubium positivum de eorum testimonio oritur. — Denique idem argumentum retorqueri posset quoad obiectivitatem sensibilis communis.

9. Colores spectri sive complementari in disco depicti, si velocissime moventur, producunt perceptionem coloris albi; dist.: hoc probat, colorem album sicut lucem albam constitui ex omnibus coloribus vel saltem complementariis — conc.; probat, colorem subiectivum esse — nego. Deinde nego suppositum sc. obiectum modo ordinario se habere. Denique argumentum retorqueri potest, quum sensus hic etiam de motu decipientur; discus enim sic velocissime motus, etiamsi habeat superficiem interruptam, appetit tanquam in quiete et tanquam continua superficies.)

¹⁾ Cfr. Linsmeier, Philosoph. Jahrb. 1901 p. 1; contra Isenkrahe, ibid. 1894, p. 408 sq.; porro Natur u. Offenbarung, 1902, 11. Heft p. 641: Linsmeier contra Lehmen. ²⁾ Pfeifer, Philos. Jahrb. 1898, I, 41.